



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 2. Quænam sunt superbiæ remedia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

Cum quis bona sua æstimat à se ipso habere, vel esse propriis meritis debita, vel solis viribus acquisita, 3. Quando finis ultimus ponitur in propria excellentia, vel in rebus graviter malis propria excellentia constituitur, aut ex illis quæritur.

Imperfecta tamen superbia, qua quis sine Dei, & aliorum contemptu, nec subjici Superioribus renuens, solum plus justo se effert, agnoscendo se omnia Deo debere, est venialis: quia non est gravis inordinatio, nec graviter repugnat charitati.

Q. 2. Quenam sunt superbia remedia?

Resp. Generatim eadem sunt, quæ humilitatis adjumenta, speciatim verò hæc.

1. Sæpe humilitatem à Deo petere.

2. Sæpe considerare suum nihilum, suam effrœnatam ad malum propensionem, suas pravas cupiditates, sua peccata, vitia, defectus, miserias tum corporis, tum animæ infirmitatem, impotentiam sine Dei gratia actuali ad quemlibet actum salutarem; item infinitam Dei excellentiam, ad quam omnia sunt instar nihili; omnia, quæ habemus esse à Deo, nostra merita esse illius dona. *Qui te discernit? quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 1. ad Cor.

4. Ex horum consideratione complacentiam sui coërcere, se ipsum contemnere;

& ex sui contemptu humilitationes, & quasvis afflictiones tanquam sibi propter peccata debitas, libenter pro Christo suscipere, & sustinere,

3. Meditari superbix pœnas, & humilitatis præmia. 1. Pet. 5. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* & Mat. 23. *qui se exaltaverit, humiliabitur; & qui se humiliaverit, exaltabitur.* Item, & maxime exempla Christi, qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem Crucis, & opprobriis satiatus est, quemque imitari debemus: *frustra enim appellamur Christiani, si imitatores non sumus Christi, qui ideo se viam dixit esse, ut conversatio magistri, ferma esset Discipuli; & illam humilitatem eligeret servus, quam sectatus est Dominus.* Ait S. Leo M. Ser. 5. de Nativ.

4. Omnia sua bona, ac opera ad Dei gloriam sapissime actu referre, & crebro exercere actus internos, ac externos humilitatis, atque opera, ac ministeria vilia, & abjecta obire, infimum locum eligere, hospitalia visitare, pauperibus, & ægrotis ministrare, &c.

Q. 3. *Quenam sunt filia superbia, hoc est vitia, qua à superbia tanquam radice oriuntur?*

Resp. Tres sunt, scilicet præsumptio, ambitio, & vana gloria.

Præ.